

NOX
CHRISTI
NATALIS
carmine heroico descripta

CUM

Paraphrasi latina Cantici sua-
vissimi, à præstantissimo Theologo
D. PHILIPPO NICOLAI compositi:
Wie schön leuchtet der Morgenstern &c:
versu anacreontico:

Antehac

In Academia Rostochiensi publi-
cè recitata, nunc recensita & edita

à

M. CHRISTIANO MICHAELE
Svetensi March. Ecclesiæ Rosto-
chiensis ad S. Jacobum pastore.

ROSTOCHI,
Literis JOACHIMI PEDANI Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXXV.



Lit. Lat.

rec. A.
387,9f.



MAGNIFICO NOBILISSIMO
VIRO

DN. THEODORO
REINKINGK, Jcto, Co-
miti Palatino Cæsareo, Cancellario
Ducali Megapolitano eminentissimo, Patrono
suo honorando


Strenæ loco & in gratitudinis
arrham

*Cum voto diuturnæ incolomi-
tatis ac prosperitatis animæ
& corporis perpetuæ*

Officosè nuncupat & offert
hoc poëmauon

Christianus Michaël.

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885





NOX CHRISTI Natalis.

Quae nova nascenti reparat cunabula Christo,
Invitans cunctos ad gaudia, certus Olympi
Quos amor aeternaeque tenet spes addita vitae,
NOX dicenda mihi: Tu quo se haec jaetat alumno,
Sancte PUER, summo soboles aequæva parenti,
Quem Superùm domus alta, nigriq; informis Averni
Regia sublimem metuunt, dignare secundo
Numine conantem, felixq; allabere cæptis.

Tempus erat, quo Pax niveis invec̃ta quadrigis
Compositos latè populos terrasq; fovebat:
Famq; triumphatis regnis ROMA inclyta victrix,
Sol quæ præcipitans se proluit igneus, & quæ
Exoriens radios undis prætendit Eoos,
Edomitos passim fines ditioe tenebat:

AUGUSTI auspiciis, quem tum suprema gerentem
Imperii dominum Divùm Pater arce locarat
Ausoniâ, rebusq; volens sortitus agendis
Legerat, ingenti nova sub quo gloria mundo
Surgere, afflictisq; forent secla aurea terris.
Namq; gubernator devictum legibus orbem
Ducere dum populosq; cupit viresq; potentis
Nosse suas, simul & venturo prospicit ævo,

Augustus.

Descriptio
Orbis.

V. Harm.

Chemn. 6.

8.

A 2

Pandi-

Panditur, ac Romæ Mavortiamœnia linquens,
 Ecce ruit, passimq; volans lex una locorum
 Insonat, indictoq; jubet dependere censu
 Pro se quemque suum: fari nomenq; genusq;
 Quo fortuna loco: quis vitam dirigat usus.
 Certatim longè veniant, quos tractibus amplis
 Arentis Libyæ pars ambit, nobilis aut quos
 Europæ atq; Asiæ Tanais disternat oris.
 Audit & Gangès illam pater, audiit Indus
 Maximus & Scythiæ Mæotis & ultima Thule
 Devexum aspiciens obliquo lumine Phæbum.

Judæi.

Et vos, ABRAMIDÆ, vox imperiosa * tyranni

* j.e.do- Territat: immunitis quondam, tunc victa, feracis
 inini: sēsu Gens terræ cultrix, refluxis ubi flexibus errat
 ātiquo & Jordanes: felix nimium, sua si bona nōsser,
 honesto. Eu- Cum licuit! nam Niliaco de carcere raptos
 rip. Virg. Dum fovet effrenisq; parens se accommodat ipse
 Martialis.

JOVA, tot annorum revolutis orbibus, hostes
 Ultrici eludens dextra, tumidosq; fatigans;
 Hei mihi ductorem quoties læsere nefandis
 Ps. 78. 106. Ausibus offensum perversi pectora: justis
 Numina non coluere sacris, veritāq; subinde
 Erravere viā, manuum simulacra secuti,
 Mentitosq; Deūm vulcus. hinc cladibus ædi
 Innumeris totiesurgeri; aliena prementūm
 Fræna pati: patriis disjungi sedibus. & tunc
 Nequicquam SOL T M E sibi jus spondebat ademptum
 CONCILII, quo tot stetit inconcussa per annos,
 Cæsaris ad nutum conversa manumq; superbi
 Herodis: quamvis mores ritusq; teneret.

Tem

Templi; at deterius, quàm patrum purior ætas.
Qualia veriloquo dudum prædixerat ore
Divinus Daniel, raptus Babylonide terra
Dum sedet & patriæ percenset vincula gentis.

Dan. 9.

Ergò ubi JUDÆÆ pariter lex intonat arvis;
Non mora Saraïdæ parent, sua nomina mittunt.
Ipsalocum, generis donans primordia, monstrat
Certa tribus, custos capitum haud ignara suorum.

Quos inter parvæ sœtus Nazaridos ora
Josephus seriem stirpis de sanguine ducens
Davidico: quamquam paucis sic notus, ut arctis
Cui tenuem ferrent laribus fabrilia victum.
Illi fida comes, fesso quam prima jugârant
Connubia intactam: sed adhuc illæsa pudorem
Virgineumq; decus servabat pectore, nulli
Post temeranda: genus de stirpe ferebat eadem.

Josephus.

Maria.

Ac senior quàm certus iter monitusq; verendos
Festinet Bethlesq; requirat mœnia, primæ
Altricis, multa ante putans sub corde volutat.
Nec tam cura tenet repetita suiq; viæque
Suspensum, quantum in sociæ obtutu usq; moratur,
Permetuens caræ, cui tunc extrema recurrens
Moturi ventris properabat tempora Luna,
Mollius, & placida fœtis ducenda quiete.

Quæ contra nitens fatorum haud inscia virgo,
Bethlemias edocta domos, quibus editus ortu
Mirando quondam Rex mundi surgat ad auras,
Cunctantem stimulat dictis ac talia fundit:
Parce metu: nec enim tantum fas tendere contra
Imperium, & quæ magna ferunt nunc jussa Tonantis:

A 3

Ibi

Ibimus huc quo urget vatū chorus inclytus: at tu,
Curam qua nobis parcis, carissime conjunx,
Et quæ sollicitum versant, depones, subibo,
Quicquid erit: quamcunq; dabunt pia Numina sortem.
Ille aderit, nec fidentes sibi deseret umquam,
Quem sequimur jussi, is rerum miseratus egenos
Respiciet clemens, celsi dominator olympi.

His stimulis curæ emotæ, lentoq; remissus
Corde dolor: tum accincta viæ se protinus infert,
Quam custos paribus gradientem passibus æquat.

Iter susce- Illi iter inceptum vario sermone levantes,
ptum. Reliquiæ veterum si qua & monumenta locorum
Ostendunt sese, longis retrò eruta seclis
Ambo recognoscunt & lætis tristia miscent.

Magnanimos memorant reges, habitataq; priscis
Patribus arva, sati quorum ipsi à stirpe nepotes.
Thariadenq; Isacumq; animisq; indigna frementi

Jacobus Germano qui cessit: opemq; expertus & ora
Patri- Agnovit nati, Phariæ dum præsidet aula.
archa. Hic vir, hic est nitido cæli cui vertice scala

Gen. c. 46. Visa solo tendi contermina, cornibus ipsum
Eductis medio Jovam quæ tangeret axe

c. 28. Innixum: cætus superum pennataq; turba
Insistens gradibus nunc saltibus ima petebat;
Nunc summam levibus superabat flexibus æthram:
Spectanti pulcher pascebat pectora lusus.

6. 32. Qualis eras, ô Sancte Pater, cum sede relicta
Servitii, ad desertam redux vehereris, onustus
Agminibus loca; cum trepido nimiumq; timenti
Ignoti nova forma Viri se sisteret, ac te

Comi-

Comprehensum magna prosternere mole pararet:
Tu claudus, victrix at nomen adeptus, abibas:
Prò qui te miserum casus luctusq; fatigant:
At tibi mens durat perfringens cuncta virilis.

Hinc Mosen Divùm ostentis ac munere virgæ
Mirificum referunt, disiectumq; æquoris agmen:
Abruptis cum se diffinderet alveus undis,
Inter & aggestos pelagi stagnantis acervos
Stringeret Hebrigenis siccis vada per via plantis.

Te quoq; dux olim clarissime dicte tuorum.
Nunide; quem sol victrici prælia dextra
Spargentem & pavidos arcentem finibus hostes
Prospiciens mediis stupefactus cursibus hæsit
Inceptumq; repressit iter juvitq; furentem.

Nec non Jersiden repetunt firmataq; pacti
Fœdera, servatamque fidem de Semine: quippe
Progenies jam nunc cæli ventura sub axem
Davidica radice micans, quæ sedis arvitæ
Ac solij æternùm mansuri instauret honorem.

Adijciunt Domini laudes & carmina dicunt.
In primis oculos Virgo sublata decoros
Indignam sese atq; humilem & nil tale merentem
Sæpe vocat; quam nunc fœcundam cœlitus Aurâ
Sublapsâ, Servatorem sperataq; terris

Gaudia, cœlituum Rector velit edere: quod te
Sancte parens oro, nostrum per pignus & alta
Jussa fave servæ, summo & rex consule cælo.
Hæc loquitur cumulans ardentibus æthera votis.

Jam lustrant oculis Solymam & post terga relinquunt.

Moses.
Exod. 7. 8.
9. 10. 14.

Josua
Jof. 6. 10.

David.
2. Sam. 7.

Inte-

Turris E- *Interea emensis spacium propiore patescit*
 der. *Turris Eder campo, foedati conscia lecti*
 Gen. 35. *Jacobo nati Rubenis crimine: pastis.*
Jamdudum gregibus statio gratissima, quæ post
Relligione loci formam mutata priorem,
 Hieron. *ANGELICI cultum templi cum nomine sumpsit.*
 Bethlebē.) *Hinc Bethlæ muros humiles ac rara domorum*
Tecta vident: patriæ victus pietate receptæ
Ingemit & parvam Josephus voce salutat:
Spem præter visenda mihi Bethlemia salve,
Alma domus, quæ me gremio fors invida movit
Cara tuo? cur te civis nunc hospes honoro?
Ut nunc spreta jaces! tibi quò tuus ille recessit
Ante decor? claram cum nobilitaret alumna,
Regia stirps minimamq; daret præcellere magnis.
 1. Sam. 23. *His portam ascendunt qua se nitidissimus undis*
Fundeat puteus, magnis heroibus olim
Per medios hostes horrentiaq; arma petitus.
Sera rubens Titan fluctus vergebat Iberos.
Marthiades sedem nocti tutosq; recessus
Explorare: videt strepitus, plenoq; sonantes
Fervere conventu vicos vulgicq; tumultu.
Diversi quàm cum longinqua per æquora vecti
Ad merces properant nautæ: non ampla ruentes
Complexu recipit statio: fuit aggere longo
Turba frequens, mixtusq; ferit vada turbida clamor.
Lustranti pars nulla vacat: sed fessa quietem
Exoptat conjunx: svadentq; astra aurea somnos.
Ædibus exceptis quoniam maturior hospes
Partes præripuit, nec se locus amplius offert:

En.

En stabuli secreta, patene quæ proxima, soli
Tandem deveniunt, admissis pervia ventis.
Hic Sociæ primùm spatium legit ille, toroq;
Exceptam congesto aptat stratoq; reponit,
Membra super fessæ involvens: lachrymantia tergit
Ora simul miserans senior: dehinc magna precati
Numina declinant somno: quos fida poli gens,
Læta cohors; stipat circum cingitq; corona.
Inde dies alterq; dies procedit ab axe,
Dum tacito matris veniens pede, tempore fluxo,
Virginei propior partus allabitur hora.
Hæc jam carmen erit. dictis advertite mentem.

Vix medio illunis torquebat fulgida cursu
Sidera nox cælo, zephyrisq; silentibus altam
Carpebant requiem latè, quæq; horrida dumis
Rura tenent nemorumve domos, quæq; æquoris undas.
Protinus insolitæ exsuperans rutilantibus æther
Lucis inardescit radius, longèq; refulget,
Ac Partus dat signa novi: sonuere corusco
Alipedum cætu voces, plaususq; canentium,
Carminaq; optatam terris gratantia Noctem,
O noctem! ô vitæ primordia grandia nostræ!

Sensit Virgo caputq; ferens arrecta reflexos
Extulit ad cælum vultus, sic ore profata:
Altipotens genitor, rerum inviolabile numen,
Ergo ades tempus, quo se mirantibus astris,
Expectata salus orbi, tua missa sub auras
Progenies tandem maternis inserat ulnis?
Sic equidem reor: aligeri quandoq; volutans
Dicta memor repeto nunquam variantia, quos &

B

Tum

Nox nata
lis.

Nativitas
Jesuli.

Tum referens tulit hortatus monitusq; Jehovæ.
Eja ades: ingentes fructus pretiosaq; reddo
Credita poscenti, demissumq; æthere pignus:
Adspice tu mitisq; fave matremq; jubentis
Dignatam nutu, miseram ne desere tutor;
Eja ait, ac cælo precibus se devovet: **INFANS**
Cum novus, illæsa fulgens genetricis ab alvo,
[Naturâ facti causas mirante latentes,
Insvetos orsus Superûm, nixusq; stupendi]
Exserit os mundumq; novo splendore serenat.
Oceano qualis Titan ubi lucidus exit,
Auricomos ducens radios clarumq; micante
Axe jubar: cedunt tenebræ, gratatur & omnis
Flammeus astrorum reduci globus: ille repente
Prodit ovans, simul & fugientia lumina condit.
Haud tamen hîc auro cunas sinuosaq; bysso
Tegmina cernere erat circumsq; valentia, non quæ
Gemmea purpuream subnectat fascia vestem.
Terrigenum multus regum decor ille: bidentis
Integit hunc tergus: tyrio pro murice lectum
Fœna ferunt, rigidum calamis, ulvaq; palustri.
Atq; aulam stabulum, cunas præsepe ministrat.
Cetera pauperies. dictu mirabile! nostros
Inducinè artus! & plusquam indigna ferentem
Unigenam Patris, illum Orco superisq; tremendum
Cælitibus regnatorem, tot volvere casus
Tam duras sensisse vices vix limine primo!
Causa Homo es & culpæ fata hæc sunt debita nostræ,
Exitio æterno nobis obstantia; cogens
Tollere quæ pietas & cari pectoris æstus

Rom. 5.

Fussie

Jussit & invictam valuit vi flectere mentem.
Hinc jungi hospitio nobis sociumq; vocari,
Et vitam traxisse extrema per omnia juvit.
Nec tua nos tibi fidentes hac aspera terrent
CHRISTE mala, haud dubiis emptam testata salutem
Indiciis populo, alme, tuo qui sanguine candet:
Vivaq; demanant ex hoc solatia fonte.
Ergo tuta mihi, miserum si plurimus urget
Te dolor, & requies parva est & certa voluptas:
Atq; gregem pauper praeclearo faenore ditas:
Caelestis vitae tua mors mihi gaudia spondet.

I nunc, trux Satana, trepido male Numen amicum
Obijce, caelestes iras & crimen acerba:
Argue sidereis rejectum sedibus, & me
Tartareis mendax perge accensere maniplis
Nequicquam: viden' hunc Puerum, mea gaudia, pestem
Exitiumq; tuum? quae sunt deperdita per me,
Hoc restaurantur: disce hinc, irrise, pudorem.
A nobis **DEUS** est; nobis obtendere contra
Quis valeat? natum donat; non omnia donet
Cum Nato? quò stulte furis? quid, pessime, frustra
Incessis diris, culpa quos eximit omni
Aethereus Pater Unigenae placatus amore.
Non res nunc alias conversaq; Numina sentis?
Cede **DEO** & Christo qui factus in omnia nobis.

Rom. 3.

Ecquis at hanc terris famam, quis detulit autor
Nuncius? unde fides? quibus aut res didita signis?
Dic sacer interpres Luca, cui cura magistri
Gestorum summam venturis prodere seclis.

B 2

Fortè

Pastorum
excubie.

Fortè simul positis vicino rure coactum
Excubiis de more pecus, sub nocte profunda
Servare abruptosq; oculis depellere somnos,
Pastorum sociata manus, gens aspera cultu.
His (mater blandè dum pernox ubera nati
Irrorat labris) subito flammantis Olympi

Angelus
nuncius.

Aëre subvectus liquido superastivit Ales,
Sidereus vultum rutiloq; illustris amictu,
Quo veniente ruunt tenebrae, fulgore patentes
Clarescunt campi longè: stupet inscia pubes
Agrestum, refugitq; oculis hebetata nitorem.
Tum vocem attollens juvenis nemora ardua complet:

LUC. 2.

Ne trepidate viri, vobis, ingentia vobis
Gaudia nunc porto, supera demissus ab arce.
Ille sator rerum, spes & fidissima mundi;
Fatidicùm solitus quondam labor, ille piorum
Optatus patrum votis spirantibus heros,
O socii, his novus his infans caput extulit oris;
Eruet hic hominum genus atq; in pristina reddet
Gorgonei tetrum maculis & felle colubri
Nunc, olim cœli radiantibus inferet astris.
Tu modo Bethlemiam, gens felix, proxima jam quæ
Cernere darmunus tantum, pete gressibus, illic
Et matrem juxta tibi fas puerumq; tueri,
Congesta positum stipula fœniq; maniplis
Præsepi in duro & stabuli penetralibus arcti.

Vix effatus erat, cum majestate coruscans
Numinis, & JOVÆ multo sublimis honore
Cœlestium vis magna poli q; exercitus omnis
Agglomerat, pictisq; volans circumnitetalis

Ac leto canit ore DEUM: tunc agmine denso
Emicat ac pulcro diversis ordine turmis,
Postquam ter cælum lustravit præpete penna
Concitus in nubes fertur: modulatibus æther
Consonat & letum vox ingeminata recurrit:
GLORIA, Laus Domino, qui celsa palatia complee
Lucis inaccessæ, tranquilla gaudia pacis
In terris, homini requies & amica voluntas.

Talibus his Servatori gratata secundo
Accinuit fremitu Geniorum lucida turba.
At ego te quonam tandem, dulcissime JESU,
Carmine dignabor, linguâ tardante, gravato
Terrenis animo? gratæ cape symbola mentis
Oro meæ, bonus & placidis nunc auribus lauri,
Quæ fundo. quin vos pariter mihi, quotquot adestis.
Succinite, atq; novo sic mecum assurgite Regi.

Transitio.

[Paraphrasis latina Cantici spiritus & devo-
tionis plenissimi à præstantiss. Theol. D. PHIL.
NICOLAI COMPOSITI: Wie schön leuchtet
der Morgenstern]

O Phosphorum! superno
Qui prodit è cubili,
Qui purpurat Jehovahæ
Dio decore plenus,
Qui Veritate plenus
Et Gratia refulgens
Jubarq; gloriosum
Lumenq; gratiosum,

Joh. 1. v. 4.

9. 14. 8.

Hebr. 1, 3.

Apo. 22. 16.

B 3

Mun-

Mundi sinus per omnes
Vultu micante fundit.

Jer 23. A-
Poc. Jo 220

Prædulce germen, ortum
Isai satore, pulchro
Isacidum in vireto,
Pulchellè Sponse, mi Rex,
Quid hoc? quid esse dicam?
Tu corculi peruris
Mei fibras amore:
Amabilisq; totus
Mirabilisq; totus
Laudabilisq; totus
Totusq; gratiosus
Totusq; gloriosus
Multa benignitate,
Virtute, dignitate,
Mei fibras amore
Tu corculi peruris.

Cant. 5

Rom. 1.
Cant. 1.
Esa. 7.
Luc. 1. 2.

Hominis DEIq; FILII,
Generose flos, refundit
Quem Virginale septum,
Quem pulchritudo summa
Insignit undiquaque,
Tu lecta mi Corona,
Splendensq; margarita—:
Te liliam venusto

Cant. 2. 3.
4.

COR

COR prædicat nitore;
Te *flosculum* suavi
Odore cor salutat.

At verba blandicello
Quæ funditas ab ore,
Sunt lacte suaviora,
Et melle dulciora.

Cam. 5, 16.

Nectar siticuloso,
Famelicoque *manna* es,
Cæleste nempe manna,
Quo pascor usq; & usq;
Perceptione mira,
Jucunditate tanta,
Ut gestiat, nec unquam
Mens ruminare cesset
Hanc suavitatis escam,
Hunc suavitatis haustum.

Job. 8.

O servulum favore
Tali pariq; amore
Et liberalitate,
Ut hætenus beâsti,
Dignare quæso porro
Fælicitare semper.

O Flamma dulcis: ô lux
Fulgore major omni
Et Jaspidis politæ.

-Ra-

Radiantis & pyropi,
Tu subilire in imos
Cordis mei recessus
Da flammulas amoris
Tui precor perennis:
Sic pura me voluptas
Sensusq; gaudiorum
Illectet ac inescet
Trahatq; vinciatq;,
Ut te requirat unum,
Te cor præoptet unum,
Tibi copuletur uni
Tibi inferatur uni,
Tam vinculo tenaci,
Vigore succulento
Imbutus hinc ut almi
In Corporis sequacem
Costam tui coalescam,
In floridamq; costam
In vîvidamq; costam
Costamq; succiplenam.

Rosa gratiosa cœli
Quæ purpuras in horto,
Sileam loquar ne? vivis
Imis meis medullis,
In abditis medullis

Amor

Amor tui recurſat,
Pectusq; ſauciatum
Amoris à ſagitta,
Cœleſtis à ſagitta
Amoris, ingemiſcit,
Et languet uſtulando,
Deſideratq; Jeſum
Jeſumq; ſpirat unum:
Videre poſcit unum:
Audire quærit unum:
Prenſare geſtit unum:
Tenere anhelat unum:
Fruiq; gaudet uno,
Potis nec eſt ſecundum
Amare præter unum.

Sic dum caleſco; dum ſic
Succendor intruſ igni,
Sufpirijsq; certo:
LUX ecce gratiarum
Jubarq; gaudiorum
Tuis mihi tuenti
Affulget ex ocellis,
Ex gemmeis ocellis,
Sapphirinis ocellis,
Smaragdinis ocellis,
Hiacinthinis ocellis,

C

Lux

Cant. 5, 8.

Lux illa gratiarum
Jubarq; gaudiorum
Affulget intuenti,
Nubeculas & omnes
Labeculas & omnes,
Mens ægra queis tenetur,
Mox dissipat fugatq;
Intelligentiæque
Lumen novum redonat.

O Ter benigne ꝑ E S U,
Hæreditas opima
Peculiumq; magnum,
Quo maectus insolesco,
Mundi q; vanitates
Aspernor universas:
Sic Spiritus ab auctu
Inebrior salubri:
Sic nutrientis haustu
Tui vegesco Verbi,
Corpusq; pastione
Sanguisq; potione
Lautissimo tuus me
Focillat apparatu,
His jugiter fruenti
Ut palpitet cor intus,
Novum trahens vigorem,

Ee

Et recreata membra
Nunquam fat hanc medelam,
Tam vividam medelam
Et efficax levamen
Dulcedinemq; miram
Planèq; singularem
Deprædicare possint.

Sed quid moramur? euge
Jesu benigne duc me
Rape me benigne JESU:
Sit hæc tibi voluntas:
Sit hæc mihi voluptas:
Amiculis ut ambo
Aspectibus fruamur;
Mellitulis ut ambo
Affatibus fruamur;
Dulcissimis ut ambo
Amplexibus fruamur;
Ignes & osculando
Ut mutuos alamus:
Ut totus incalescam
A fotione tali,
Anhelituq; crebro
Incurstantis auræ
Vim Gratia profusam
Persentiam, tuis quæ

CANT. 8.

C 2

Præ-

Præcordijs resultat.
Id expeto precorque:
Sit hoc mihi impetrare,
Nil amplius requiram.
Faciésne *Christe* votis
Me compotem fruisci?
Facies profectò: quippe
Me primitùs vocasti,
Amore provocasti,
Venire perpulisti.
Nolito mî negare,
Quod jura veritatis,
Quod jura charitatis
Fieri dariq; poscunt.

Parens *supreme*, quo nec
Ullum fideliozem
Ullumve fortiozem
Probabo nec probavi,
Te testor, Alme, tu me
Nascentis ante mundi
Elementa prima retrò
In *FILIO* immerentem
Complexus es favore.
O liberalitatem!
O gratiam *Jebovæ*
Mirabilem, stupendam

Eph. 1.2.

In,

Inexplicabilemque!
Non-filium, per iram
Qui funditus perisset,
Adoptione mira,
Me filij coronas
Spe, jure, dignitate.

At *Filius* misello
Firmavit hunc Parentis,
Cumulavit & favorem,
Modoq; singulari
Inclaruisse fecit.

Dicam, meamq; sortem
Ferventiore lingua,
Profusiore gestu
Ebuccinabo: quando
Sic imperat voluptas
Benignitasq; Christi
Quæ splendidè refulsit,
Dum memet it redemptum,
Thalamo poli corusco
Procedit ille, summo
Fastigio decoris
Prodit, soli inquilinos
Invisit novi amictus
Sub viliori forma.

Balantis instar agni
In devijs relictis

C 3

Er-

Errore cespitabam :
At fidus hicce pastor
Me quæritat: repertum
Humeris domum reportat.
Ergastulo tenebar;
Adstat mihi is redemptor.
Sub vinculis gemebam;
Assertor ille præstò.
Me perditum querebar;
Fit ipse sospitator.
Et me orphanum querebar:
Tibi tutor, inquit, adsum.
Sed debiti fatigat
Me magnitudo, dixi:
Heus memet ipse pro te
Oppignorabo, dixit:
Dicit facitq;, pro me
Fit sponsor, imò Sponsus.
Hic hic ego obstupesco,
Quin obstupescit unà
Globus poli soli q;:
Meus fit ecce! sponsus,
Qui Filius supremi
Agnoscitur Monarchæ,
Nullo priore primus
Qui regnat Imperator,
Meus

Meus fit ille sponsus
Fioq; Sponsa Christi.
Ahah! vocavit ipse
Sibi me: dicavit ipse
Sibi me: jugavit ipse
Sibi me, tenaciterq;
Devinxit; hinc ut ambo
Nec arctiore vinclo
Nexuve sanctiore
Nodove fortiore
Possimus illigari.

Benè me! suam salutat
Me Christus ipse sponsam:
Lectissimamq; sponsam
Svavissimamq; sponsam
Carissimamq; sponsam
Toties eum vicissim
Meum saluto sponsum,
Optabilem, venustum
Amabilemq; Sponsum
Mirabilemq; sponsum:
Amiculam salutat,
Idem repono: voce
Sororculæ vocanti,
Fraterculi repono.

Benè

Bene me! profectò in hoc funa

Supra modum beatus,

Ex parte dives omni,

Ex parte pulcher omni,

Ex parte latus omni,

Totus beatus. Eja

Dabit mihi æviternæ

Serenitatis auram;

Dabit mihi æviternæ

Tranquillitatis oram;

Jucunditatis aulam;

Æternitatis arcem,

Vitamq; sempiternam!

Ipsi dabo vicissim

Quod sum, quod esse possum;

Cor, lingulam perennis

Devotionis arrham,

Amoris & honoris

Perennis officinam,

Gratas ovationes;

Laudesq; sempiternas.

Nunc nunc ciete plectra,

Nunc increpate chordas,

Citharæ strepant chelysqs.

Nunc consonent in unum

Modi melodiarum

Cho.

Choriq; musicorum
Pulsusq; cymbalorum
Soniq; tiliarum
Strepitusq; nabliorum,
Et tinnuli sonores,
Et garruli susurri,
Argutuliq; cantus,
Et si quid est voluptas,
Quo pascitur, quod aures
Mulcere, quod cor intus
Animare dulce possit,
Id audiatur omne.
Stat ingredi novellos
Actus amationis,
Festivore pompa,
Speciosiore cultu,
Ardentiore nisu:
Cum JESULO venusto,
Cum Sponsulo decoro,
Supra modum decoro,
Supra modum venusto,
Stat ingredi novellos
Actus amationis,
Identidemq; captos
Cupidè redintegrare.
Certabimus vicissim

D

In-

Interq; sessitandum
Interq; obambulandum,
Subinde suaviantes
Sermunculis petitis
Et osculis cupitis
Et blandulis ocellis
Amplexibusq; junctis
Subinde factitantes
Quæ sanctus ardor & vis
Spiraminis superni
Præcordijs ciebit,

Quid inde? quid? putasne
Balbutientis ora
Narrare cuncta posse?
Ut dum subintrat ignis
In ossium patentis
Penitissimos recessus,
Sinusq; permeando
Sibi jam subegit omnes,
Et jam flagrantis intus
Incendijs amoris
Exæstuabo totus,
Tum protinus sub ipso
Nexuq; brachiorum,
Flictuq; basiorum
Reciprocante, in ipsum

Mare

Mare suaviter volutus,
Ingurgiter vel usq;
Absorbear vel usq;
Mare nempe gaudiorum
Plenissimum, quod ipsa
Sic plenitudo ditat,
Immensa semper hinc ut
Tranquilla pax, & omnis
Beatitudo fluxu
Largissimo redundet.
Sic sic amabor: & sic
Amabo sponsa sponsum.

Vos eja candidati
Fælicitatis hujus
(O Christiana turba)
Omnes adeste, mecum
Alacres inite tantæ
Festivitatis actus:
Cum canticis movete
Lætissimas choreas,
Sionias choreas,
Quales & angelorum
Olympicis cohortes
Palatijs frequentant,
Et jubilationes,
Et gratulationes,
Pæanas & triumphos

D 2

Ge

Geminate, personate.
Vocem levemus: O R E X
Ter - magne JOVA, quanta est
Rerum tuarum gloria!

Iamb. dim.

JESU benigne quanta est,
In servulos faventia
In perditosque gratia!

Iambi.

Quiesce cor, quiesce
Et lingua conticesce:
Sat igneos amores
Expromptissimus, sed ohe
Nec dum cor acquiescit,
Nec lingua conticescit:
Imbuta suavitatis
Mens jugiter refluxu
Subsultat intus, atque
Cogit subinde sena
Interpretem profari:
Prò Christe, dictat, ut mi
Applaudo! te patronum
Et comparem cupitum
Quòd repperi, quod haud es,
Mea lux, homullus instar
Merorum homuncionum:
Sed unione mira;
At unione vera,
Homo Deus, fuit qui

Se-

Secla ante seculorum,
Adhuc quod est eritque
In secla seculorum.
Tu primus es, misellum
Qui mortis è barathro
Salutifer reducti:
Novissimus sed idem
Mortalitatis hujus
Ergastulo solutum
[IO triumpho!] sistes
Amœnitatis aureo
Cœlestis in vireto.
Io triumpho! tuta
Me sede collocabis.
Tunc illa magnitudo,
Et celsitudo regis,
Et amplitudo Sponsi,
Ac largitatis ipsa
Se abyssus explicabit.
Io triumpho! fiet:
Ah fiat alme JESU,
Mea vita, quid moraris?
Corona pulchra Tete
Mens anxie per horas
Desiderat: venito.

☉(.)☉

D 3

HA

Haecenus & celebrata mihi natalia sunt
Noctis sacra tua, quos & deprompsit amores
Mens mea CHRISTE tibi. Sed enim quia circinat
orbem

Phabus & emensus stadium labentis anhelat
Anni puncta novi, strenas pro more rogare
Hic quoque res nos ipsa jubet; dum larga datorem
Munificum fore te, tua nobis gratia dicat.

Sed numero in tanto quid primū quid vē secundū
Poscimus? quando nil non petuisse necessum est.
Verbum lux nobis & agenda regula vita.

Hoc salvo, stamus salvi, stant cuncta serena.
Hunc teter forsā si solem obnubilet error,

Plena tenebrarum sunt omnia. Sed malè densis
Vivitur in tenebris. quid vita est lumine cassa?

Verbum ergo serues nobis ante omnia sartum
Et tectum JESU, contra, quas pessimus auctor
Sectarum Satanas passim trux exspuit bydras:
Pestifero virus ne flatus nobile lumen

Vel nebula obsuscet. stet meta immota salutis,
Hancque adeo faxis cuncti adspiremus ad unam,
Exuti mores praeuos, tegumenta malorum,

Aurea Pax qua te nascentem excepit, amico
Nos hilaret vultu: tectis cispelle potenter
Hostiles turmas: procul hinc procul hocce flagellū!

Tandem Teutonicis oris bella, horrida bella
Avertens penitus, patria miserere ruentis:

Sit

Sit finis cladis, sit fusi sanguinis, & sit!
Aëra tu cælumq; salutifer imbue, ne nos
Dira lues perimat: letis proventibus agros
Et fluuios dita: ventorum flamina nautis
Concilia: fausto moderans rege singula cursu.
Unum præ multis te poscimus, O bone, nostrum
Dexter Athenæum quoq; respice; grata sub alis
Sentiatur inde tuis fac halcedonia. Celsos
Tu Megalespoleos Dominos, duo germina
Fratrum,

Nostra fulcra Scholæ facias florescere porro.
Nec non Patronos, quos hæc Academia iuxta
Suspicit, Urbemq; hanc adeò defende, tuere.

Insuper & rerum queis publica cura gerenda,
Tum qui doctrinæ ac virtutum semina spargunt,
Viribus officii sanctum da posse laborem
Exanthlare Patres, benedictio dia coronet
Profectus multo studiosæ cepta iuventa.
Omnia multiplici ditecant undiq; fructu.
Hæc petimus: sed tu solus dare singula nosti:
Tu solus, & ESU, nosti dare commoda nobis.

Δ. T. Θ.

A 3. v. 24. lege pro fætis, gravidis. B I. v. 10 pro tempore
fluxo, mensibus actis. C I. v. 6. si mactus displicet, substitue dives.
Cætera Lectoris candori.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or date.]

